

No. 329. 1493. 12. Juni u. 1494. 20. Mai.

*Acht Cardinäle und Bischof Tilo von Merseburg ertheilen der Capelle zum h. Kreuz Ablass.*

Oliverius Sabinensis, Georgius Albanensis, Johannes Michael Portuensis, Jeronimus Penestrinus episcopi, Laurentius tit. s. Caeeciliae, Johannes tit. s. Vitalis, Paulus tit. s. Sixti presbyteri, Baptista s. Mariae novae diaconus miserat. div. sacrosanctae Rom. eccl. cardinales universis et singulis praesentes litteras inspecturis Christi fidelibus salutem in domino sempiternam. Quanto frequentius fidelium mentes etc. Cupientes igitur ut capella s. Crucis sita extra muros Lipezenses<sup>a)</sup> Merseb. dioc., in qua sicut accepimus in memoriam passionis domini nostri Jhesu Christi quoddam sepulchrum ad modum dominici sepulchri formatum et constructum, ad quod et ipsam capellam sicut etiam accepimus venerabilis et religiosus vir dominus Jacobus Köler decretorum doctor praepositus monasterii s. Thomae Lipezensis — singularem gerit devotionis affectum, congruis frequentetur honoribus et a Christi fidelibus iugiter veneretur ac in suis structuris et aedificiis debite reparetur conservetur et manuteneatur nec non libris calicibus luminaribus ornamentis ecclesiasticis et rebus aliis divino cultui necessariis decenter muniatur ornentur et decoretur utque Christi fideles eo libentius ad eandem capellam causa devotionis confluant et ad munitionem reparationem conservationem manutentionem et alia praemissa manus promptius porrigant adiutrices quo ex hoc ibidem dono coelestis gratiae uberius conspexerint se refectos, devotis supplicationibus praefati domini Jacobi nobis super hoc humiliter porrectis inclinati nos cardinales praefati videlicet quilibet nostrum de omnipotentis dei misericordia ac bb. Petri et Pauli app. eius auctoritate confisi omnibus et singulis Christi fidelibus utriusque sexus vere poenitentibus et confessis qui dictam capellam in Veneris sanctae et Inventionis et Exaltationis eiusdem s. crucis ac feriae tertiae Rogationum ipsiusque capellae dedicationis festivitatibus et diebus a primis vesperis usque ad secundas vespas inclusive devote visitaverint annuatim et ad praemissa manus porrexerint adiutrices pauperesque et proprium non habentes Christi fideles orationes in ipsa capella ad deum devote effuderint et alia pietatis opera fecerint pro singulis festivitatibus et diebus praedictis quociens id fecerint centum dies de iniunctis eis poenitentiis misericorditer in domino relaxamus, praesentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. In quorum omnium etc. Datum Romae in domibus nostris sub anno a nativitate domini millesimo quadingentesimo nonagesimo tertio, die vero duodecima mensis Junii pontificatus etc.

Hentzel.

Nos Tilo d. e. ap. s. gr. episcopus Merßburgensis — recognoscimus, quod has indulgentias per cardinales supradictos dictae capellae s. Crucis admisimus et approbavimus et omnibus Christi fidelibus qui suas porrexerint manus adiutrices ad dictae capellae restaurationem pro maiori praemissorum gratificatione — vere poenitentibus et contritis quadraginta dies indulgentiarum de iniunctis eis poenitentiis misericorditer

a) Die Kapelle zum h. Kreuz zu Olschwitz; über dieses vgl. No. 2.  
COD. DIPL. SAX. II. 9.